Fragmentarium

14

Et subsequatur mox abbas hymnum te decet laus;
Et data benedictione incipiant matutinos; Qui or-
do uigiliarum omni tempore tam aestatis quam hiemis
aequaliter in die dominico teneatur; nisi forte
quod absit tardius surgantur. aliquid de leccionibus
breuiandum est. aut de responsoriis; Quod tamen omnino
caueatur ne proueniat; Quod si contigerit. digne in
de satis faciat deo. in oratorio. per cuius euenerit neg-
lectum; **QUALITER MATUTINORUM SOLLEMNITAS AGATUR;**

In matutinis dominico die. inprimis dicatur
sexagesimus sextus psalmus. sine antiphona
in directum; post quem dicatur quinquagesimus cum alleluia;
Post quem dicatur centesimus septimus decimus et sexagesimus
secundus; Inde benedictiones et laudes; Lectio apoca-
lypsi una ex corde. et responsorium ambrosia-
num. uersum canticum de euangilio. letania
et completum est. **PRIVATIS DIEBUS QUALITER**
Diebus autem priuatis **MATUTINE AGANTUR;**
matutinorum sollennitas ita agatur;
id est sexagesimus sextus psalmus dicatur
sine antiphona subtrahendo modice sicut dominica.

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 92.8, 14r – Regula Benedicti
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-iman/5127/48958)